

modi infirmus, sicibis fuisset usus, quos putabat esse prohibitos. Paulus enim satisclare definit Rom. 14.v.14. & 25. *Nihil quidem esse immundum per se, sed ei, qui existimat immundum esse, interim si quis sit, qui ambigat, & nihilominus ederit, de eorum pronuntiat, quod condemnatus sit, quia non edat ex fide.* Secundo, si Error aliquis invincibilis Conscientiam afficiat, potest quis opinari secundum Conscientiam erroneam e. g. novit aliquis, DEO gratum esse opus largitionem Eleemosynæ, possidet autem ille Bona ad se transmissa, quæ inuste parta à majoribus, cuius inustitiae tamen ille nullam habet notitiam vel habere potest, sane talem obligat Conscientia ad erogandum, ut ut errore aliquo affecta, adeo ut peccaret, si intermitteret, quod Conscientia dictat. Tertio, in re lege divinâ ostensâ, per se mandata aut prohibita, si judicet Conscientia faciendum prohibitum, vel omittendum præceptum peccat, sive agat secundum sive contra, prius, quia erroneous Dicem sequitur, quem deberet declinare, ignorantiae indulget, quæ vincibilis, posterius, quia quantum in se est, vult agere contra legem DEI, quæ Conscientiæ præcessit, e.g. si talisquis errore præoccupatus, qui credat, rem aliquam malam esse bonam, prohibitam esse præceptam, & proinde illam faciat, peccat sane faciendo, ut ut Conscientiæ suæ Dictamen sequatur & illud prætendat. Viciissim opinetur aliis alio errore præventus, rem, quæ bona, esse malam, quæ præcepta, esse prohibita, & propterea operationem suspendat, peccat, ut ut Dictrami ni Conscientiæ suæ se attemperet, quia utrobius peccatum sive deflexio à lege I. Joh. 3. v.4. specialius Exemplum habet Baldinus pag. 14. *Furari est res illicita. Si conscientia malâ persuassione decepta fuerit, quasi furandum sit, ut dari possit eleemosyna, nemo peccaret, qui contra eam faceret.* Nam omnibus notum esse debebat, partim, quod furtum in lege sit prohibitum, partim quod non sunt facienda mala, ut eveniat bonum. Qui autem id licitum putat, ex ignorantia crassâ & vitiosâ, quam vincibilem vocant, peccat. Ac proinde conscientia, quæ talem errorem fundamenti loco ponit, obligare non potest: nemo enim obligari potest ad malum, nec lex inferior potest obligare contra legem superioris. Lex autem Dei est: non faciendum malum, conscientia igitur non obligare nos potest, ut faciamus malum.

LXXXIII.

Non probatur autem primo sententia Durandi & Almaini apud Cordus-